



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De  
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1531**

**VD16 H 224**

Nicena fides. Cap. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29805**

RERVM MEMO. LIB. IX.

EX vtraq; historia permutatum.

Caput II.

**T**unc de fide ibidem subtiliter disseritur, errorq;  
Arrij cōdemnatur manifestis scripturarē dictio-  
nibus, quia & deo filius naturaliter vnigenitus  
est verbum, virtus, sapientia solius patris, & deus ve-  
rus, sicut Iohannes ait, splendor glorię, & figura sub-  
stantiæ patris. Verę post diuturnū multumq; tracta-  
tum, placet oīnib; ὁμούσιον scribi debere, id est, eius-  
dem cum patre substantiæ filium confiteri. Defertur  
ad Constantinū sacerdotalis conciliij sentētia, quam  
ille ut à deo prolatam veneratur, & cōtradicentibus  
comminatur exilium. Exemplum aut̄ sententiæ vel  
Nicenæ fidei est huiusmodi.

Caput III.

**C**redimus in vnum deum patrem omnipoten-  
tem omnium visibiliū & inuisibilium, & in vnu  
dñm Iesum Christum, filium dei, natum ex pa-  
tre, vnigenitum, hoc est, ex substantia patris, deum ex  
deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, na-  
tum non factum, ὁμούσιον, hoc est, eiusdē cum patre  
substantiæ, per quē omnia facta sunt, quæ in cælo, & q  
in terris, qui propter nos homines & propter nostrā  
salutē de cælis descendit, & incarnatus est, hoc ē, fact⁹.  
Passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cælos,  
inde venturus iudicare viuos & mortuos. Dicentes  
autē, erat aliqui, non erat antequā nasceretur, vel nō  
erat antequā fieret. Aut quia ex non extantibus fa-  
ctus est, aut ex alia substantia, vel ex subsistentia, dicē  
res etiā aut conuertibilem, aut mutabilem filium dei,

F

## HAYMO DE CHRISTIĀ.

hos anathematizat catholica ecclesia apostolica.  
Hanc venerabilē fidem trecenti decē & octo episco-  
pi amplexi sunt, inter quos maior adhuc erat nume-  
rus cōfessorum Christi & martyris. Nam & Iacobus  
quidā Antiochiae Migdoniæ, qui mortuos resuscita-  
uit, viuos curauit, & alia multa operatus est miracula  
Paulus quoq; Neocæsariæ castrī positi iuxta Euphra-  
tem, qui ambas manus habuerat ligatas, ignitoq; fer-  
ro cōbustas, rabie Liciniij, Pamitius quoq; Aegyptius  
ex eorū numero quos Maximianus dextris oculis ef-  
fossis, & sinistro pollice succiso, per metalla damnaue-  
rat, aderant ibi. Sed & Spiridion Cyprius episcopus,  
ex eorum numero dicitur fuisse, vir vñus ex ordine  
prophetarum, qui pastor ouīū in episcopatu permā-  
sit. Cuius hoc fertur factum insigne, & omnibus se-  
culis admirandum: Filiam habuit, quæ cum ei bene  
administrasset, virgo defuncta est. Post obitum eius  
venit quidam dicēs, se ei depositum cōmendasse. rem  
gestam ignouerat pater. perquisitum in tota domo  
quod poscebat, nusquā inuentum est. Persistebat il-  
le qui cōmēdauerat, & fletu & lachrymis purgebat, cō-  
minans etiam sibi mortem, nisi depositum reciperet.  
Permotus lachrymis eius senex, ad sepulchrum filiæ  
properat, atq; illam nomine clamitat suo. Tūc illa de  
sepulchro, quid vis (ait) pater? Commendatum, in-  
qt, illi⁹ vbi posuisti? At illa locū designās, illic(ait) inue-  
nies defossum. Regressus domum suam, depositum  
vbi filia de sepulchro responderat repertum, tradit re-  
poscēti. Sed & multa eius referunt alia gesta. Hi & hu-  
iūsmodi reuerendissimi viri sederunt apud Niceam.

RERVM MEMO. LIB. IX.

HAYMO: Vnde indubitanter credimus, prædicta  
ibidem synodum à spiritu sancto quadam diuinitus  
consideratione congregatam fuisse, vt scilicet nobis  
posterioribus ac diurnis vel modernis daretur intelli-  
gi, firmum esse ac catholicum quicquid ibi de myste-  
rio fidei promulgatum est. Quod quidem tam diuini,  
tamq; spirituales viri locuti sunt, qui non erant simi-  
les nobis indignis & peccatoribus, qui propter iniu-  
stiam nostram in scripturis sanctis fallere possumus  
& falli. Neque enim potuit spiritus sanctus fallaciā, p-  
ferre, per quos tanta & talia operabatur miracula.  
Igitur domino cooperante, & sermonem confirman-  
te eorum sequentibus signis, quidam episcopi etiam  
in ipsa synodo, & circa synodum, virtutes aliquas &  
signa fecerunt. Nam cum ibi philosophus quidam in  
arte dialectica insignis, obiectis quæstionib; fidei no-  
stræ occurseret, nec ab aliquo posset cōcludi, quidā ex  
confessoribus simplicissimē naturæ vir, & nihil aliud  
sciens, nisi Christum Iesum & hūc crucifixum, paucis  
philosopho insultanti congrederit, expositaq; simpli-  
citate fidei quadam eum ineffabili pietate mox per-  
mutat & efficit Christianum. Et tunc ostensum est  
philosopho, quia regnum dei non in sermone, sed in  
virtute confixit.

EX tripartita historia, actum Cōstantinopoli.

Caput IIII.

**S**ed & Alexander Cōstantinopolitanus, vir ad-  
miradg; cōuersationis, cū quidā philosophi causa-  
rentur aduersus imperatorem, q; nouā in republi-  
ca introduceret culturā, & ipsi Alexandro opponere

F ij